



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conferentiæ Theologico Morales**

Compendiosè propositæ ac breviter resolutæ Ad Usum Directorum  
Conferentiarum Hebdomadalium ... DD. Parochorum, Curatorum,  
Confessariorúmque omnium

Ex Materia De Actibus Humanis Excerptarum

**Sargar, Eliseus**

**Augustæ Vindelicorum, 1720**

Conferentia XX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41214**

## CONFERENTIA XX.

28. AN quandoque quis etiam teneatur aut debeat sequi opinionem minus probabilem, vel minus tutam, etiam contra propriam probabiliorum ac magis tutam; v. g. Confessarius habet pœnitentem, qui in choro sub recitatione horarum canonicarum studio & voluntariè distrahitur ad pro tunc impertinentia, ut postea in cella solus constitutus eas (ut putat) cum debita attentione persolvat: nec vult valere priorem recitationem, ne forte peccet per voluntarias distractiones: interim ipsi valde molestum ac difficile est, extra chorum omnes horas repetere; ac proinde vel eas omittit, vel certè diutius differendo, se periculo omissionis frequenter exponit: quæritur ergò, an tunc confessarius sententiæ contrariæ non teneatur pœnitenti suadere, ut sequatur oppositam opinionem illorum doctorum, qui doceant non requiri attentionem mentis in horis canonicis, sed sufficere integram verborum pronuntiationem cum situ modesto?

RESOLUTIO est affirmativa. Ita *Patrit. cit.* n. 45. & 48. & ex ipso communior.

Ratio autem est: quia quilibet tenetur satisfacere obligationi suæ, quando id præstare potest sine peccato: sed dictus confessarius obligatur succurrere pœnitenti suo graviter periclitanti; nec potest commodius illi succurrere, quàm suadendo oppositam sententiam minus probabilem & minus tutam, scilicet eum non obligari ad repetendas horas canonicas distractè lectas: igitur ad hoc obligatur. M. est certa. Minor constat

ex

ex præcedenti Conferentia, quod id possit absque peccato: igitur, &c. Idem dicendum de subdito, cui Superior aliquid præcipit secundum sententiam verè probabilem (in proposito non repetere horas canonicas distractè peractas) qui proinde, contra propriam opinionem speculative probabiliorem & tutiorem visam, tenetur obedire: Ratio est eadem. Quia quidquid subditus licitè agere potest, præcipiente superiore etiam debet.

CONFERENTIA XXI.

29. **A**N prudenter & bene agant confessarii illi, qui non audent (contra suam opinionem) absolvere mittunt pœnitentes ad alium confessarium, qui sit ejusdem cum pœnitente opinionis? R. Eos ineptè agere: si enim alter poterit absolvere, cur etiam tu non possis? aut cur tua speculativa persuasio pœnitenti in re tam gravi obesse debeat, qui supponitur bona fide tenere sententiam oppositam verè probabilem, habetque, peccatis jam confessis, jus ad absolutionem? cum ergò tu possis licite eum absolvere, omninò teneris.

*Dices:* Confessarius est verus & legitimus superior ac Judex pœnitentis, adeoque pœnitens est subditus illius: ergò tenetur suam propriam opinionem deponere & obedire superiori. R. Confessarium non esse pœnitentis superiorem absolute & simpliciter, sed solum limitatè in ordine ad peccata ab ipso ad tribunal pœnitentiae allata: pœnitens autem non peccat sequendo

opinio-